

?

INCERTI CARMINA BUCOLICA (88 vers)

(EINSIEDELN ECLOGUES)

THAMYRA, LADAS, MIDA

I 1 v.1 Te, formose Mida, jam dudum nostra requirunt
 2 jurgia : da vacuum pueris certantibus aurem.
 3 Haud moror ; et casti nemoris secreta voluptas
 4 invitet calamos : imponite lusibus artem.
 5 Praemia si cessant, artis fiducia muta est.
 6 Sed nostram durare fidem duo pignora cogent
 7 vel caper ille, nota frontem qui pingitur alba,
 8 vel levis haec et mobilibus circumdata bullis
 9 fistula, silvicolae munus memorabile Fauni.
 10 Sive caprum mavis vel Fauni ponere munus,
 11 elige utrum perdas ; sed erit, puto, certius omen
 12 fistula damnato jam nunc pro pignore dempta.
 13 Quid juvat insanis lucem consumere verbis ?
 14 Judicis e gremio victoris gloria surgat.
 15 Praeda mea est, quia Caesareas me dicere laudes
 16 mens jubet : huic semper debetur palma labori.
 17 Et mi sidereo cor movit Cynthus ore
 18 laudatamque chelyn jussit variare canendo.
 19 Pergite, io pueri, promissum reddere carmen ;
 20 sic vos cantantes deus adjuvet ! Incipe, Lada,
 21 tu prior ; alternus Thamyras imponet honorem.
 22 Maxime divorum caelique aeterna potestas,
 23 seu tibi, Phoebae, placet temptare loquentia fila
 24 et citharae modulis primordia jungere mundi
 25 carmine uti virgo furit et canit ore coacto,
 26 fas rnihi sit vidisse deos, fas prodere mundum :
 27 seu caeli rrens illa fuit seu solis imago,
 28 dignus utroque deo stetit ostro clarus et auro
 29 intonuitque manu. Talis divina potestas
 30 quae genuit mundum septemque intexuit oris
 31 artificis zonas et totas miscet amore.
 32 Talis Phoebus erat, cum laetus caede draconis
 33 docta repercusso generavit carmina plectro :
 34 caelestes ulli si sunt, hac voce loquuntur !
 35 Venerat ad modulos doctarum turba sororum
 36 huc huc, Pierides, volucris concedite saltu :
 37 hic Heliconis opes florent, hic vester Apollo est !
 38 Tu quoque Troja sacros cineres ad sidera tolle
 39 atque Agamemnoniis opus hoc ostende Mycenis !
 40 Jam tanti cecidisse fuit ! Gaudete, ruinae,
 41 et laudate rogos : vester vos tollit alumnus !
 42 [Lacune]
 43 [lacune]
 44 venerat en et Maeonides, cui plurima barba
 45 albaque caesaries pleno radiabat honore.
 46 Ergo ut divinis implevit vocibus aures
 47 candida flamenti discinxit tempora vitta
 48 Caesareumque caput merito velavit amictu.

49 Haud procul Iliaco quondam non segnior ore
50 stabat et ipsa suas delebat Mantua cartas.

GLYCERANUS, MYSTES

I 2 v.1 _ Quid tacitus, Mystes ? _ Curae mea gaudia turbant :
2 cura dapes sequitur, magis inter pocula surgit,
3 et gravis anxietas laetis incumbere gaudet.
4 _ Non satis accipio. _ Nec me juvat omnia fari.
5 _ Forsitan imposuit pecori lupus ? _ Haud timet hostes
6 turba canum vigilans. _ Vigiles quoque somnus adumbrat.
7 _ Altius est, Glycerane, aliquid, non quod patet : erras.
8 _ Atquin turbari sine ventis non solet aequor.
9 _ Quod minime reris, satias mea gaudia vexat.
10 _ Deliciae somnusque solent adamare querellas.
11 _ Ergo si causas curarum scire laboras ...
12 Quae spargit ramos, tremula nos vestiet umbra
13 ulmus, et en tenero corpus summittere prato
14 herba jubet : tu dic, quae sit tibi causa tacendi.
15 Cernis ut attrito diffusus cespite pagus
16 annua vota ferat sollennesque incohet aras ?
17 Spirant templa mero, resonant cava tympana palmis,
18 Maenalides teneras ducunt per sacra choreas,
19 tibia laeta canit, pendet sacer hircus ab ulmo
20 et jam nudatis cervicibus exuit exta.
21 Ergo num dubio pugnant discrimine nati
22 et negat huic aevo stolidum pecus aurea regna ?
23 Saturni rediere dies Astraeaque virgo
24 tutaque in antiquos redierunt saecula mores.
25 Condit secreta totas spe messor aristas,
26 languescit senio Bacchus, pecus errat in herba,
27 nec gladio metimus nec clausis oppida muris
28 bella tacenda parant ; nullo jam noxia partu
29 femina quaecumque est hostem parit. Arva juvenus
30 nuda fodit tardoque puer domifactus aratro
31 miratur patriis pendentem sedibus ensem.
32 Est procul a nobis infelix gloria Sullae
33 trinaque tempestas, moriens cum Roma supremas
34 desperavit opes et Martia vendidit arma.
35 Nunc tellus inculta novos parit ubere fetus,
36 nunc ratibus tutis fera non irascitur unda ;
37 mordent frena tigres, subeunt juga saeva leones !
38 Casta fave Lucina : tuus jam regnat Apollo !